

clarum. Cum quo consentit Manuscriptum vetustum Baronis de Kainach, præter eos tamen recenset, Conradum Teuffenbachium ad Annum 1292. qui Elisabetham, Jacobi de Molsheim filiam in matrimonio habuit Anno 1328. & 1339. ejus pacta dotalia Sigillis suis firmarunt Jacobus de Molsheim & Ulricus de Weißpriach. (b) Hartvico de Teuffenbach supra memorato Frater datur Ernestus, qui Margaretham N. penatibus induxit, & ex ea genuit Ortolphum, qui Anno 1337. & 1367. vixit, & cum Elisabetha Henrici de Weißpriach filia thorum partivit. (c) Otto de Teuffenbach Anno 1295. 1316. & 1337. Nelle de Teuffenbach Anno 1305. & Henricus Anno 1311. claruerunt. (d) Qui omnes in tabula Bucelini omissi sunt. Martinus Teuffenbachius Anno 1365. celebratur. (e) Rudolphus autem Anno 1366. & 1371. Burggravii in Vestenberg munus obiit. (f) Hartmannus (Härtl) de Teuffenbach Leutholdi qui Anno 1277. claruit filius Burggravius in Fürstenfeld/castrum familiæ gentilicium Mayrhoffen dictum à Conrado Mayrhoffer Anno 1377. pretio comparavit, testes in instrumento citantur, Thomas Fruett / Rudolphus de Waldsee Capitaneus Provincialis Styriæ & Georgius de Hervveigstein (Herberstein.) (g) Archivum Austriæ Statuum memoriam Leutholdi & Balthasaris Fratrum Teuffenbachiorum coluit, posterior Margaretham Henrici à Künigsberg filiam in matrimonio Anno 1463. habuit. (h) Balthasar ille & Johannes à Künigsberg domum & hortum communem Cremsii Henrico Feuchter Parocho in Polan vendidere, Anno 1471. (i) Christophorus Pfuntan ultimus Nobilis apud Styros familiæ bona sua omnia in Bernhardum Teuffenbachium Anno 1507. mortis causa donatione transtulit. (k)

(a) Document. Monaster. ad S. Lampertum. (b) MSC. Kainach. (c) Ibi.  
 (d) Ibi. (e) Ibi. (f) Ibi. (g) Ibi. (h) Archi-v. Stat. Austr. num. 2945. (i) Ibi num. 3105. (k) MSC. Kainach.

### CAPUT LXVI.

## EQUITES DE HOHENECK.

**I**nter Antiquiores superioris Austriæ Equestres Stirpes merito hæc familia locum invenit; ex ea Johannes Hohenecker testante Archivo Statuum Austriæ præmium liberum Nichhoff dictum, & bona quædam in Rennersdorff pro quinquaginta libris denariorum Parocho in Maur Anno 1420. vendidit. (a) Sigismundus ab Hoheneck literas vetustas Wolfgangi Trunc de Windpasing Anno 1515. subscripsit. (b)

(a) Ar-